Lettres Pattentes

du Lieutenant general pour le Roy en Roussillon pour conserver les Officiers Monnoyeurs et Ouvriers et leurs familles dans leurs privileges tous les Officiers y denommés en datte

Du 13.e 8.bre 1470:

Nos Huguo Viant miles Dominus de Sancto Genesio Consiliarius et Camerlingus Domini nostri francorum Regis locum tenens generalis multum illustris Domini Tanguy de Castro militis vice Comitis dela Balliera dicti Domini nostri Regis Consiliarii et Camerlingui ordinarii et pro eodem Domino gubernatoris Capitanei et locum tenentis generalis in Comitatibus Rossilionis et Ceritaniæ visis et recognitis per nos litteris patentibus dicti Domini Regis ejus Majestatis Sigillo in viridi

cerâ sigillatis nobis proparte operariorum et Monetariorum de Sacramento monetæ villæ Perpiniani exhibitis et præsentatis quibus hujusmodi nostræ sub sigillo nostro sunt attaxatæ cum quibus et ex causis et rationibus in illis contentis dictus Dominus Rex eisdem operariis et Monetariis eorum que conjugibus liberis et familiæ dedit de gratia speciali et concessit quod de cætero ipsi et eorum successores de Sacramento dictæ monetæ Perpiniani in eadem villa Perpiniani et Comitatibus Rossilionis et Ceritaniæ utantur et gaudeant talibus et similibus privilegiis franchesiis immunitatibus et libertatibus quibus utuntur et gaudent utique et gaudere soliti sunt et debent cæteri alii operarii et monetarii Regni franciæ et prout continetur in quodam vidimus dictorum privilegiorum eisd. litteris

Regiis Sub contra sigillo Regiae Cancellariae
attaxato concessimus et concedimus quantum
in nobis est interinationem complementum
et Executionem litterarum Regiarum
earumdem prout modoque et forma quibus
dictus Dominus Rex cum litteris eisdem
vult praecipit atque mandat cum itaque
Bernardi Peytani acessor et locum tenens
Magistri generalis Bernardus Samnyach
magister particularis et Monetarius
joannes Morgay et Galcerandus Bertran
custodes joannes Treginer contracustos
joannes furter Grafferius, Andreas Cord
ansenyator, Bernardus Puig Taillator
Bernardus Telles praepositus monetariorum
Galderius Peytarii, jacobus Pujol, Guillelmus
Beatrice, Guillelmus Puig, Raphael
Palaxrach, Guillelmus Palaxrach, Petrus
Catala, Guillelmus Mosser, jacobus
Pertetti, Arnaldus Pelisser, joannes

Bonabosch, Raphael Vesia, joannes Ganter, Galdericus Matali, joannes Guill, Stephanus Cardin, joannes Cujol, Guillel. Costa, Petrus Pons; Petrus Sellera, franciscus Gros, joannes jauffre, antonius Puig, jacobus Callaris, joannes Puig et Guillelmus Vila Sine de numero Officialium operariorum et Monetariorum dictæ Monetæ Perpiniani dicimus propterea et mandamus scienter et expressé Seneschallo in dictis Comitatibus vicariis Rossilionis et Vallesperii ac Bajulo Perpiniani et cæteris Officialibus et personis ad quos et quas spectet dictorumque Officialium locum tenent. sub poenâ centum marcharum argenti quod omnes superius nominatos tanquam de numero Officialium operariorum et Monetariorum de Sacramento dictæ Monetæ Perpiniani eorum que conjuges liberos et familiam gratis privilegiis

jmmunitatibus franchesiis et libertatibus
preinsertis uti et gaudere faciant et permit-
tant absque jmpedimento et contradictione
cujusq. in cujus rei testimonium praesentes
fieri jussimus manu nostra subsignatas
et sigillo nostro proprio jmpendente munitas.
Datum Perpiniani die tertia decima mensis
8.bris anno a nativitate Domini millesimo
quadringentesimo septuagesimo. h. Viane
locus + sigilli.)

Collationné al'original en
parchemin cotté N.° 122: gardé aux
archives du Domaine du Roy
en Roussillon dans un sac N.° 6.
par moy soussigné Greff.r du d.
Domaine. J. Bosch. avec paraphe.

ADMINISTRATION
MUSÉE
DES MONNAIES